

COLLEGII PRIMI
DISQUISITIONUM
PHILOSOPHICARUM

Disputatio II.

In illustri VVitebergensi Academia

PROPOSITA,
PRÆSIDE

M. JACOBO MARTINI
Profefs. publico

RESPONDENTE

Christophoro Dressero

Bolcolucano, Silesio.

Ad diem

VVITEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij Anno
Christi 1609



VIRIS

Reverendis atq; doctissimis

Dn. JACOBO KUHN,

*Ecclesie in Luco Bolconis Pastori
vigilantissimo,*

Dn. GODFRIDO TILESIO

ejusdem Ecclesie Diacono fidelissimo,

NEC NON

*Humanissimo, omnisq; virtutis atq; eruditio-
nis laude conspicuo*

Dn. MATTHÆO HAMANNO,

Ludi Moderatori ibidem dignissimo:

Dnn. Patronis & Fautoribus suis perpetuò colendis,

*Εὐμνασμα hoc Philosophicum debite gratitudinis
& observantiae τεκμήριον*

Dedicat

&

offert

RESPONDENS.



DISQUISITIO I.

Quomodo ars Demonstrativa, Dialectica & Sophistica differant.



Syllogismus † proprie in duas species, Demonstrationem nimirum & Dialecticum Syllogismum dividitur: Quarum differentia ab ultimo Syllogismi & Logica fine, id est, à veri cognitione sumitur. Cognitionis enim veri alia firma est, perfecta, immutabilis, cum animi certitudine conjuncta, quæ scientia nominatur: alia infirma, imperfecta, mutabilis, absque certitudine animi, quæ vocatur opinio.

Quæ† quidem cognitionis differentia cum *in 2.º* opponantur; omni medio carent: ac proinde non immeritò à summis etiam Philosophis, Platone & Aristotele comprobata sunt: quorum hic in 1.º post. analyt. c. 2.º in definitione scientiæ loco generis ponit COGNITIONEM: differentia vero, quòd sit FIRMA & IMMUTABILIS: & in cap. penult. ejusdem libri scientiam ab opinione his ipsis differentijs separans, opinionem, ait, esse quiddam infirmum: & talem esse ipsius naturam. Ille autem in Menone scientiam simulacris Dædali vinctis & ligatis; opinionem ipsdem volitantibus & aufugientibus eleganter admodum comparat.

A 2

Quoni-

3. Quoniam † igitur omnis Syllogismus cognitionem, ut finem respicit: alius quidem firmam gignit cognitionem: qua Demonstrationis nomen accipit: alius autem infirmam, qui Dialecticus appellatur. Idcirco † hæc differentia, tanquam essentialis & specifica in utriusq; Syllogismi definitione ponuntur.

4. Demonstratio † enim definitur 1. post. cap. 2. Syllogismus scientiam gignens. Dialecticus autem Syllogismus, Top. 1. ille dicitur, qui ἐξ εὐδὸξων, id est, ex probabilibus, & ad opinionem accommodatis, concludit: Sicut in eodem libro de propositionum delectu, quod est juxta Pacium 11. propositionum & problematum Ethicorum, Physicorum & Logicorum tractatio Dialectica à demonstrativa iisdem differentijs discernitur: quod illa ad opinionem, hæc ad Philosophiam, hoc est, ad solidam & firmam rerum cognitionem, qualis est scientia, dirigatur.

5. Nec † obstat, quod plures etiam alij fines atq; utilitates utriusq; speciei passim ab Aristotele & ejus interpretibus videntur afferri: ut cum finis Demonstrationis dicitur non modo scientia: sed etiam scire, contemplari, docere: & cum Dialectici Syllogismi finis non solum opinio statuitur: sed etiam in utramq; partem disputare, atq; ita dubitando ad veri cognitionem preparare, & principia immediata examinare, vel etiam Tentare, & tentando imperitiam alicujus, qui sibi rerum cognitionem arrogat, detegere. Isti enim & similes fines, aut cum illis jam expositis, idem sunt, alijs tantum verbis expressi: aut certe illis cognati sunt, vel subordinati.

6. Manifestum † igitur est, hanc esse primam artis Demonstrativæ & Dialecticæ differentiam, quod Apodictica formet Demonstrationem, ut sit instrumentum gignens scientiam: Dialectica autem efficit Syllogismum Dialecticum, ut sit instrumentum pariens opinionem.

EX

Ex hac ꝛ porro oritur altera differentia in utriusqꝫ Syllogif- 7.
mi principijs posita. Apodictica enim, ut solidam ꝛ firmam
rei cognitionem per Demonstrationem gignat, ex veris ꝛ pro-
prijs principijs, quæ ex rei subjectæ natura petuntur, ꝛ cujusqꝫ
disciplina sunt propria ac vernacula concludit. Dialectica
autem, ut opinionem saltem animis hominum inserat, ex pro-
babilibus ꝛ communibus argumentatur principijs: quæ neqꝫ
eâ rei subjectæ natura sed ex opinione vel omnium vel plurimo-
rum, vel sapientum, eorumqꝫ vel omnium, vel plurimorum,
vel maxime illustrium accipiuntur: neqꝫ sunt alicujus disci-
pline propria; sed communia pluribus.

Hac quoqꝫ differentia ponitur in perfecta demonstrationis 8.
ꝛ Dialectici syllogismi definitione: ut ex principio I. Top. ap-
paret: Ideoqꝫ hæ duæ, à fine ꝛ principijs desumptæ, differentia
sunt præcipuæ: ex quibus aliæ plures secundaria fluunt.

Differunt ꝛ enim eadem Inventionem quoqꝫ seu locis. Nam 9.
loci Apodictici paucissimis modorum per se conditionibus cir-
cumscribuntur: cum dialectici quàm plurimi sint ꝛ varij.

Differunt etiam eorum, quæ inventa sunt, collocatione. 10.
Apodictica enim collocatio ad docendum veritatem accon-
modata, ideoqꝫ facilis, simplex, ꝛ manifesta esse debet: Diale-
ctica verò, siquidem ad opinionem tantùm veritatis, ꝛ victo-
riam in disputando quocunqꝫ modo obtinendam dirigatur: con-
clusionis necessitatem variâ ꝛ obscurâ collocatione plerumqꝫ
occultat.

Differunt ꝛ item analysi seu reductione problematum ad 11.
sua principia: quia magis determinata, magisqꝫ certa est ana-
lysis Apodictica, quàm Dialectica. siquidem in illa unum medi-
um, quod rei causâ est: in hac autem plurima sese offerunt,
ex quib. singulis inferri videtur conclusio. Propter hoc analyseos
discrimen rationes Apodicticæ frequenter appellari solent
nã? ἐξοχῆν Analytica. Vnde ipsa quoqꝫ Apodictica, rationes illas

conformans, non immeritò Analytica nominatur. Atq; he dif-
ferentia Apodictica & Dialectica artis hoc loco sufficiant.

12 Nec † verò his obstat, quòd Aristoteles 1. Top. 1. quatuor
or species Syllogismi, ac proinde etiam Logice artis constituere
videatur. Quia duo posteriores Syllogismi, Pseudographus
& contentiosus, vitiosi sunt, ac prioribus duobus oppositi. Ne-
que enim veri cognitionem: sed ignorantiam aut deceptionem
pariunt: neq; ex veris aut probabilibus: sed ex falsis & appa-
rentibus principiis constant: imò neq; formam Syllogismi ne-
cessario habent: quòd possunt esse, & frequentius sunt, Pa-
ralogismi.

13 Species † ergo Syllogismi propriè non sunt: cum omnis spe-
cies sui generis necessario sit particeps: sed speciebus Syllogis-
mi, tanquam defectus & vitia quaedam apponuntur. Ab Ari-
stotele autem pingui Minerva, & ut ipse ibidem ait, *ὡς ἐν τῷ πρῶτῳ*
Syllogismorum species appellantur. Hujusmodi ergo Syllogismi,
vel potius Paralogismi, non novam aliquam Logice speciem
vel partem constituunt: sed quia contrariorum eadem est na-
tura: Apodictica non solum Demonstrationem; verum et-
iam ei contrarium syllogismum Pseudographum: & Diale-
ctica non tantum Syllogismum Dialecticum; sed etiam huic
oppositum Sophisticum seu contentiosum tractat: ut non modo
legitimis Syllogismis ad rerum cognitionem uti; sed etiam à
vitiosis, quia cognitioni officiant, abstinere, & eos accuratius
refutare possimus.

DISQUISITIO II.

Quot sint passionēs Entis, & quem inter
se servant ordinem.

1 Vulgo † sex numerari solent transcendentia. Ens, unum,
verum, bonum, res, aliquid. Ex quibus colligi videntur
quinque

quinq; Entis passiones: propterea quod tot ejus sint attributa,
& non plura vel pauciora.

Huic + verò opinioni duplici contradicitur modo. Qui- 2
dam enim pauciores, quidã plures numerant Entis affectiones.

Illi + Rem & Aliquid affectiones Entis negant, atq; ita 3
tria tantum Entis ~~retinent~~ retinent. Rationem addunt hanc:
Nam Res duntaxat dicit de formali rei quidditatem, & ra-
tam seu realem essentiam: quæ verò non proprietates, sed ipsa
Entis essentia est. Eodem modo Aliquid, nihil videtur signi-
ficare aliud, quàm ipsum Ens: Inde enim dictum est aliquid,
quod aliquam habeat quidditatem: Est igitur significatio ejus
formalis, quæ coincidit cum significatione Rei & Entis.

Posterior + pars adhuc alia, omni Enti communia, ad- 4
ferri posse autumat: nempe durare & esse alicubi: quæ et-
iam secundum se abstracta ab actuali existentia considerari
posse, ideòq; habere connexionem per se cum Ente videntur. Ut
enim hac prædicatio: Ens est unum; est perpetua veritatis,
absolvendo copulam à tempore: ita & hæc videntur esse tales:
Ens habet durationem; Ens habet præsentiam localem.

Addunt + insuper præter simplices hæc passiones alias 5
complexas seu disjunctas, ut finitum, infinitum; Actum,
potentiam, &c. Quemadmodum enim, inquiunt, proprie-
tas numeri dici potest, quod sit par vel impar: Et quantita-
tis, quod sit finita vel infinita: ita Entis passio dici potest,
quod sit finitum vel infinitum, quod sit actu vel potentiã:
quod sit causa vel caussatum, &c. Tandem + videntur 6
infinitæ Entis passiones dari posse. Si enim ad Entis passiones
sufficiunt negationes, sive habitudines rationis, in infinitum
illæ multiplicari possunt: ut esse idem: esse possibile, esse
impossibile; esse amabile; esse intelligibile, &c.

Pro Questionis + hujus resolutione cū subtilissimo Suarez 7
dicimus: si propriè loqui velimus, & nō fingere distinct. minus
necessa-

necessarias, tres tantum esse proprias Entis affectiones: Unum, Verum, & Bonum.

8. Quam sententiam † porro probat sequentibus rationibus.
1. Ab Autoritate illorū, qui Metaphysica scripserunt, nempe, qui omnes tantum hæc tria τὰ ἀθρ̄ enumerant. 2. A communi concipiendi modo, nec non significatione ac interpretatione ipsarum vocum. Nam Unum, quatenus unum, tantum significat quod res sit indivisa: quare formaliter Enti negationem addit, quo à vero & bono distinguitur. Hæ porro inter se discriminantur: Verum dicit adequationem vel habitudinem ad Intellectum: Bonum autem ad voluntatem seu appetitum, tanquam conveniens illi: sive hoc dicat formaliter, sive fundamentaliter. Hæ verò sunt habitudines seu rationes valde diverse. Quod etiam à contrarijs facile declarari potest. Nam unitas opponitur multitudini. Bonitas malitiæ; Veritas falsitati: hæc autem valde distincta sunt.

6. REM † porro cum Ente conjungendam esse manifestum est sequentibus rationibus. 1. Quodcumq; significat essentiam & quidditatem Entis, illud non significat affectionem Entis, sed est predicatum maximè quidditativum Entis: Atqui juxta Avicennam ipsum, qui cæteris tribus Rem & Aliquid addidit, Res significat Essentiam sive Quidditatem Entis: Ergo &c. 2. Juxta communem loquendi usum Ens & essentia sunt synonyma. 3. Omnis passio, cum illo, cujus est passio, adjectivè conjugari potest & debet, hoc est, denominativè de suo subjecto dici: ut corpus nigrum, album &c. sic Ens Bonum, Verum, Unum &c. Verum Res cum Ente adjectivè non conjugitur: sed quidditivè sive in quid, predicatur: ut Ens est res: Ergo &c. Idem quoq; de Aliquid statuendum est. Qui enim audit vocem Aliquid, statim Rem concipit, quæ non sit omnino nihil, sed habeat quandam essentiam.

10. Ad alteram † igitur partem, qua has passiones plures esse proba-

probat, respondetur, primum de duratione, illam non esse
ubique diversam ab actuali existentia: atq; ita eadem erit de
utraq; ratio. Si vero ex natura rei distincta est in creaturis, non
recte numerabitur inter passiones Entis, quia est speciale quod-
dam Ens. Idem etiam de praesentia locali statuendum est:
nam & haec affectio particularis est: nempe est modis Enti-
um, certum predicamentum constituentium. De disjunctis il-
lis, quibus Ens vel finitum, vel infinitum, item vel actu vel
potentia &c. dicitur, statuendum est, quod non proprie sint attribu-
ta & affectiones Entis generales: sed potius divisiones ejus.

Tandem & possunt quidem in Ente plures à nobis excogi- 11
tari negationes vel habitudines rationis, quae passionibus illis,
quae enumeratae sunt, non explicantur formaliter: Verum illae
omnes in positivis virtute continentur, vel ad eas revocantur.
Hinc constat, non peculiarem Entis passionem constituere
Identitatem vel diversitatem: quia relationes illae, non per
se conveniunt Enti, sed tantum extrinsecus per cogitationem,
reflexionem aut comparisonem mentis: Si autem sumantur,
quatenus in re aliquod habent fundamentum positivum vel
privativum, sufficienter sub Unitate continentur. Iuxta hunc
quoq; modum ad veritatem reducitur denominatio Intelligi-
bilis, significabilis; ad bonum, ratio integri & perfecti, &
denominatio amabilis, appetibilis & similes. Ergo plures
passiones constringere necesse non est. Atq; haec tenus prima qua-
estio pars.

Quaeritur & nunc porro de ordine. Veritati primum tri- 12
buimus locum. Absoluta enim semper priora sunt respectivis
in suo genere: Atqui Vnum est absolutum predicatum Entis:
Verum & Bonum respectiva: Vnum itaq; his praemittendum est.
Minor probatur: Vnum enim convenit omni Enti ex se & non
per denominationem ab alio extrinseco, neq; proprie per relatio-
nem ad aliud: quod de Vero & Bono aliquo modo dici potest,
quatenus

quatenus nimirum convenientiam cum alio significant & dicunt.

1.2. Vt autem † Vnum est prius Vero & Bono; ita Verum Bono premittendum est. Bonitas enim quodammodo in Veritate fundatur: siquidem haud facile res quaedam bona indigitari poterit in se, nisi etiam in se vera fuerit. Deinde Verum ad Intellectum, Bonum ad voluntatem refertur: Iam Intellectus potentia prior est voluntate: Ergo & id prius erit, quod ad Intellectum, quam quod ad voluntatem refertur.

1.3. Hinc † talis methodus vel ordo institui potest: Entis modi sive attributa sunt vel absolutum, nempe Vnum: vel respectiva, ut Verum & Bonum.

DISQUISITIO III.

Quomodo libri Physicae Auscultationis Aristotelis recte dividantur.

1. Tota † Physiologia in partem Communem & Propriam tribuitur. Octo Acroamatici libri, cum sequentibus collati universalis & communis pars omnes censentur: eo quod unum volumen constituunt, & de communibus corporum naturalium principiis & affectionibus tractent.

2. Qui † iterum in duas partes commodè distinguuntur: in auiam, quae principia; & in aliam, quae accidentia naturalis corporis continet: quarum illa duobus prioribus: haec sex posteroribus continetur.

3. Quos † sex libros de motu nonnulli inscripserunt: sed perperam: quandoquidem in illis non tantum de motu, verum etiam de ceteris generalibus corporis naturalis affectionibus agitur, nempe de loco, tempore, infinito, continuo: nisi forsancum Zabarella illos excusare velimus, quod, quia principem locum inter accidentia naturalia tenet motus, & ut plurimum de

de motu agitur in ijs libris, inscriptio illa non absq; ratione fiat,
ut à parte & maxima & præcipua.

Ceterum † quoad divisionem ipsam nobiscum consenti- 4.
unt interpretes Græci: verum quinam libri dicendi sint de
principijs, qui vero de affectionibus sive de motu controverti-
tur. Adrastus enim, quem citat Simplicius & Themistius,
imo ipse quoq; Simplicius & Andron. ut iterum referi Simplici-
us in principio 5. Phys. & Eudem. ut idem meminit in prin-
cipio 6. Phys. statuerunt priores quinq; de principijs, postero-
res vero tres de motu esse. Verum quomodo tertius & quar-
tus sint de principijs equidem non video. Quandoquidem in
illo ex professo agitur de Motu & Infinito: In hoc de Loco &
vacuo. Quis verò hæc principia esse dixerit.

Toletus † hoc modo illos excusandos esse existimat: quia in 5.
libris his agitur de motu, ut est pars definitionis principiorum,
in reliquis vero tribus de motu secundum se, propterea illos in-
ter libros de principijs computari, hos vero non.

Verum enim vero † meo iudicio excusatio hæc nulla est. 6.
Quandoquidem, ut patet, in illis non tantum de motu, sed et-
iam de alijs attributis universalibus, ut de infinito, de loco,
de vacuo, de continuo, de tempore, agitur. Deinde mo-
tum in hi saltem respectivè, nempe, prout pars definitionis na-
tura est, tractari, sine omni dici fundamento manifestum est.
Nam primum lib 3. Philosophus generalem motus definitio-
nem quam diligentissimè inquirat: In quinto porro motum à mu-
tatione accuratè distinguit, motusq; species nervosè explicat:
atq; ita post tractationem de loco, inani, tempore, ad tra-
ctationem de motu, tertio libro ceptam, revertitur: & quæ de
eo superjunt explicanda, quinto & sequentibus libris persequi-
tur. Qui vero ita rem tractat, illam non certo quodam re-
spectu, sed à se ipso ut in se est, considerat.

Deinde † si liber quintus adhuc est de principijs: de iisdem 7.

B 2

quoq;

quoque erunt subsequentes, & potissimum liber sextus, quippe qui indissolubili modo cum quinto nebitur: id quod ex lib. 6. primis statim primi contextus verbis liquet, ubi continui, ceterorumque definitionibus, quae libro quinto traditae sunt, utitur ad propositum suum confirmandum.

8. Porphyrus † ut refert Simplicius in principio 5. Physicorum tantum quatuor priores libros dixit esse de principiis, reliquos vero quatuor de motu: quam opinionem amplectitur Philoponus in prooem. lib. Phys. Verum eodem modo, quo procedens, rejicitur.

9. Conclusum † igitur esto, volumen Physicum Acroamaticum in duas dividi partes, ut dictum.

10. Crellius, † sex posteriores, inquit, in duas itidem partes ab ipso Philosopho distributos esse: in universalem & non-universalem: quarum illa quatuor precedentibus, tertio, quarto, quinto, sexto continetur: Octavus vero cujus Parasceve septimus est, speciatim de conversionis aeternitate agit: ideoque specialiore parte constituere videtur.

DISQUISITIO IV.

Quis sit usus nervorum.

1. Quod † venae praestant in naturalis facultatis conservatione; quod arteriae faciunt in resistendo calore vitali; illud agunt nervi in motu, sensusque perfectione, membra, quibus habet nihil officiosius corpus nostrum, quibus ea persicimus munia, quae cum majore conatu administrare cogimur.

2. Dicimus † igitur cum Laurentio communissimum nervorum usum esse, animalem facultatem cum spiritu tenuissimo deferre: à quo duo alij particulares fluunt; sensum nempe & motum communicare.

Sensus

Sensus + instrumentum nervum esse, inde liquet, quod 3.
nulla fiat sine nervo sensio. Quod iterum patet 1. indu-
ctione. Vbi enim non datur nervus opticus, ibi non fit visio:
sic nulla sine nervo, odorum, saporum, soni & qualitatum,
quæ tactum afficiunt, perceptio: 2. Deinde idem ex acci-
dentibus quibusdam manifestum est: ligatis enim, vel sectis,
vel obstructis, vel etiam refrigeratis nervis, *ἡ ἀπαιτία* sensus a-
nimadvertitur privatio.

Motus + porro voluntarij Instrumentum nervum esse 4.
inde conspicuum est: Quod nullus hujusmodi motus fiat
sine nervis. Imo ipsa nervorum structura & substantia
hoc commonstrat. Propterea enim siccos & duros illos dedit
natura, ut vehementiores motuum impetus perferre possent,
nec statim dissolverentur: Rotundam acceperunt figuram,
ut trahi retrahiq; pro arbitrio possent: Perforati etiam an-
gustissimis minusq; perspicuis meatibus, ne spiritus animales
quorum natura tenuis est, in transitu dissiparentur. Hinc
Aristoteles lib. 3. Histor. animal. dicit, nullam partem stu-
pore, paralyti, & convulsione tentari, quæ nervo careat. Iam
quis nescit, stuporem diminutionem sensus, Paralytin sensus
& motus privationem, tandemq; convulsionem involuntari-
um motum esse? Et Hippocrates lib. de ossium natura
ait: τὰ δὲ νεῦρα κἀμψω, καὶ ἐκτασσω, καὶ ἐντασσω παρεχόντων:
Nervi flexionem, contractionem, ac distentionem
præstant.

Objicis: + Musculorum officium & usus non est nervis s.
adscribendus: Atqui membrorum vastissimas moles con-
trahere, flectere & extendere, soli musculo est concissum:
Ergo &c.

B. 3

Respon-

6. Respondemus, † majorem non esse *causam* veram: potest enim nervorum & musculorum idem esse officium & usus, quando sumuntur ut *causae* subordinatae. Quocirca minor neganda est. Quandoquidem varia sunt organa motus: Cerebrum; nervi, & musculi. Cerebrum enim, quia appetentis & fictricis facultatis sedes, ex illo imperium est & fluit: nervus deinde imperium illud excipit & defert ad musculus: musculus demq; obsequitur. Est igitur nervus causa motus, verum non immediata, sed mediantibus musculis.

DISQUISITIO V.

An concubinatus sit licitus.

1. Concubinatum † licitum esse, partim exemplis, partim legibus probari posse videtur. Exempla adducuntur tam sacra, quam profana. Sacra: ut Abrahamus praeter Saram, uxorem legitimam, ex qua Isaacum sustulit, aliam superinduxit Ceturam, qua ipsi sex filios peperit. Isaaco vero dedit omnia sua; Concubinarum vero filios muneribus ornatos, orientem versus amandavit, qui Brachmanes postea dicti fuerunt, quasi Abrachmanos Gen. 25.
2. Sic † Lamech ante diluvium Gen. 4. duas simul habuit in matrimonio feminas; cujus postea complures extiterunt imitatores. De quo D. Augustinus, quia mos erat, crimen non fuisse ait. Et de Iacobo idem Augustinus inquit, lib. 16. de Civit. Dei, cap. 38. Vnde Iacobo Patriarcha acciderit, quatuor habere feminas, de quibus duodecim filios, & unam filiam procreavit, cum earum nullam concupisceret illicitè, divina Scriptura indicat. Ad unam quippe accipiendam venerat, sed cum illi altera pro altera supposita fuisset, nec ipsam dimisit, quàm nesciens usus fuerat in nocte, ne ludibrio eam videretur habuisse: & ex eo tempore quoniam multiplicanda posteritatis

tatis causa plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam eam
illam, cui uni jam futuri conjugij fidem fecerat. Quae cum
esset sterilis, ancillam suam, de qua filios ipsa susciperet, merito
dedit: quod etiam major soror ejus, quum peperisset, imitata,
quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Ja-
cob legitur petisse praeter unam, nec usus plurimis, nisi gignen-
da prolis officio conjugali, jure servato, ut neq; hoc faceret, nisi
uxores ejus id fieri flagitassent, quae corporis viri sui habebant
legitimam potestatem. David rex, exul, uxores duas duxit,
Achinoamam Iezraëlanam, & Abigailem Nabalis viduam.
Micholem enim Saulus pater pulso Davide Phalti Lais F.
Gallinensi locaverat. 1. Reg. 25. Apud Iudaeos quoq; concu-
binarum documentum praebet Salomon, quem 700. uxores &
pellices habuisse legimus 3. Reg. 11.

In profanis & historijs extant exempla quàm plurima. De 3.
Persis scribit Strabo 15. quod plures uxoribus jungant pellices.
Athenaeus ex Dionis Persicis scribit reginas pellicibus conni-
vare, quod se, tanquam numina colant. Augusto Imperatori
Livia uxor undecunq; pulchras acquisivit puellas, quibus pel-
licum loco in senio utebatur. Suetonius in August. Stra-
tonica uxor Dejotaro suavit, ut Electram pro Concubina sibi
jungeret. Plutarch. de clar. mul. Darius, qui ab Alexandro
fuit debellatus, trecentas ac quinquaginta pellices in omnia
bella circumducere consueverat, ut testatur Dicæarchus lib.
3. vitarum Graciae. Cum Athenenses ob civium paucitatem
urbem augere vellent, decreverunt, ut unam civem ducerent,
atq; etiam ex meretricula susciperent liberos. Suidas in vo-
ce *λεπτοδέρμη*.

De legibus & si quaeras, & haec adferri possunt. Ferunt, 4.
Imperatorem Valentinianum legem tulisse, ut procreationis
causa liceret duas habere uxores. Justinianus 1.5. C. ad S. C. tum
Orfic. dicit, apud Romanos probatam consuetudinem concu-
binis.

binis utendi. Et Marcellus lib. 7. Digest scribit: Quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est. Item Concubina non differt à matrefamilias, nisi dignitate. l. item legato 49. § 4. de leg. 3. quia matrefamilias dignitas facit l. pro nunci. 46. de V. S. In ceteris imitatur concubina conjugem. Julian. Nov. 18. Et vocatur ἡμίγαμος à Zonara, quasi semiconjux Cujac. in parat. de concub.

5. Verum enim vero + concubinatum licet leges civiles antiqua non improbant: is tamen, nempe qui est illegitima consuetudo in. cum pellice extra matrimonium, in populo Dei nunquam fuit approbatus. Imo sacra litera expresse jubent duos vivere in carne una: quam unitatem lacerari & distrahi necesse est, quoties vir se pluribus impendere cupit.

6. Lamech + quidem (cujus antea quoque mentio facta est) ex posteritate Cain primus ab ordinatione divina discessit: quem postea alij quoque imitati sunt: Et quia in morem politicum abiit, Patriarchæ secuti sunt: cum ea res offendiculo careret. Qui etsi non excusari possint; tamen non malitia peccaverunt, sed ex ignorantia, consuetudinem publicam sequentes.

7. Deinde + distinguendum est inter Polygamiam & concubinatum. Concubinatus Patriarcharum & Regum veteris Testamenti verum conjugium fuit, non concubinatus, licet ita in scriptura interdum nominetur: Inter primarias tamen conjuges & concubinas, hoc tantum discriminis fuit: quod hæ inferiore gradu & loco erant: liberi quoque concubinarum, cum liberis ex herili conjugem, non pariter succedebant, ut videre est Genes. 25, ver. 5.

8. Verum + quum hodie Christi mandato ad primam conjugij institutionem revocati simus Matth. 19. Concubinatus nihil aliud est, quàm vel Scortatio vel Adulterium (tertium non datur) quorum utriusque Deus (nisi pœnitentiam egerint violatores)

latores) gravissimas & corporales & eternas pœnas est com-
minatus 1. Cor. 6, ver. 9. Gal. 5, ver. 19. Eph. 5, ver. 5. Hebr.
13, ver. 4.

Nihil igitur hic moramur leges civiles: Nam lex 9.
humana, quæ divinam subvertit: lex non est, sed detestanda
ἀταξία & ἀνομία.

Atque igitur hinc etiam recentiores leges politica & Impe-
ratores concubinas dissuadent, imò omnino prohibent, imprimis
vivis veris & legitimis uxoribus 1. unica C. de concub. So-
zom. 1. histor. cap. 8.

Deinde igitur si in Novo Testamento expressè improbata est 11
& prohibita polygamia, cum ex constitutione conjugij duo
tantum jubeantur esse in carne una: cum quo etiam consenti-
unt, eandemq; prohibent. 11. Romanorum 1. 2. C. de incestis
& inut. nupt. 1. ult. C. com. de manu. §. Affinit. Instit. de
nupt. & jam Pretor edicto infames pronunciarat polygamos
1. ff. de ijs, qui not. inf. imò nec ipsis Judæis ulterius polyga-
miam concesserunt Arcadius & Honorius 1. Nemo C. de Jud.
& Coelic. Et Carolus V. Art. 121 Polygamiam capitali pœnâ
affecit: Multo magis puniendi, & capitali pœnâ afficiendi,
qui præter legitimos conjuges concubinas habent & alunt.

Adde, igitur quod sub atâ causâ, tollatur effectus. Vera 12
concubinatus causa hæc erat: Quæ inferioris conditionis e-
rât, ut liberta, vel ingenua, infimo loco nata, vel quæ corpore
questum fecerat, non poterat conjux fieri, quia æqualis conju-
gi non erat, ideoq; in concubinato vivebat tantum. 1. in con-
cubin. 3. ff. de concub. Quia igitur libertorum gradus sustu-
lit Iustinianus, & singulis manumissis jus integritatis restituit
§. ult. Instit. de Libert. ipso jure cecidit concubinatus.

Multa igitur quoq; incommoda in familijs & rebus publ. ori- 13
untur ex concubinato. Plerunq; enim, imò semper, si da-
tur occasio, concubina præripiunt legitimis uxoribus, quod

C

ipsis

ipsis debetur, ut Thietberga Lotharij uxor coram Pontifice
conquesta est, Sigon. 5. Ital. Cario lib. 4. Filij quoque ipsa-
rum in adeunda hereditate plerunque dant turbas, nec infre-
quenter legitimos heredes antevertunt. Certè, ut autor est
Salustius in Jug. occasione hac Iugurtha Adherbali & fra-
tri regnum Numidarum eripuit. Friganus Canis Grandis
Scaligeri frater ex concubina, absente Cane, Tyrannidem Ve-
rone occupavit Volater lib. 4. Quid fecit Gyllus, decimus
tertius Rex Scotorum? annon duos legitimos (si nempe Bucha-
nano credendum lib. 4. Hist. Scot.) heredes de regno deiecit,
ut ipse spurius regnaret. Quid fecerit Albertus Landgravi-
us Thuringie, quò Thuringiam in Spurium Apitzium trans-
ferret, legitimis heredibus, Friderico & Dieterico, Marchio-
nibus Misnie, exclusis, constat ex Chron. Thuringiæ Riv.
14 Ad exempla † illorum, qui concubinas habuerunt, re-
sponsum esto: Non exemplis, sed legibus vivendum & judi-
candum esse.

15 Conclusum † itaq, esto: Primam conjugij institutionem
& legem, a Christo Matth. 19. in usum revocatam, ab omni-
bus observandam esse: & nemini permittendam licen-
tiam, duas vel plures simul ducendi vel
habendi uxores.



E I N I S.



Elenchus contentorum.

Bismarckii vita et res gesta theologorum orthodoxorum recens.

MUSNERI Fides Jobi.

concilium oecumenicum octavianum.

ULB Halle

3

003 509 435




5le

VJ 17



Handwritten text on a small label on the spine, possibly indicating a library or collection name.





COLLEGII PRIMI
DISQUISITIONUM
PHILOSOPHICARUM
Disputatio II.
In illustri VVitebergensi Academia
PROPOSITA,
PRÆSIDE
M. JACOBO MARTINI
Profefs. publico
RESPONDENTE
Christophoro Dressero
Bolcolucano, Silesio.
Ad diem
VVITEBERGÆ,
Typis Martini Henckelij Anno
Christi 1609